

Pacis publicæ Violatio.

SUMMARIUM.

Quæ pœna sit fractæ pacis publicæ. 482.
Quæ requirantur, ut Pax fracta dicatur. 483.
 In quo differat vis publica à privata. eod.
 An Constitutio Imperialis etiam ad privatos pertineat. 484.

An ad incurrendas pœnas requiratur actualis illatio damni. eod.
 An ex Const. Imp. possint puniri effringentes, & expugnantes aedes privatas. 485.

Pœnas quem sit declarare, aliquem in Bannum Imperiale incidisse. 486.

Quomodo Constitutio ratione Banni posse habere locum in Ecclesiasticis. 487.

Quâ ratione possint feminæ incidere in bannum Imperiale. 488.

PRO conservanda publica pace in Imperio, plures Imperatores, consentientibus Statibus & Ordinibus Imperii, Constitutiones promulgaverunt, præsertim Carolus V. VVortmæ Anno 1521. quam refert Gilhusius c. 2. tit. 9.

Pœna fractæ Pacis publicæ est Proscriptio, seu Bannum Imperiale, vi cuius ab omnibus impunè offendi possunt tam in corpore, quàm in bonis: & Rei deprehensi cum vita omnia bona amittunt post sententiam declaratoriam.

Præter pœnam Banni etiam aliis pœnis subiectus est, qui pacem publicam violat, nempe illis omnibus, quæ vim publicam facienti in Digestis & Codice constitutæ sunt, de quibus infra. tit. *Vis publica & privata.* ratio est, quia omnis violatio pacis publicæ est etiam vis publica, ut mox patebit ex requisitis ad violationem pacis publicæ, licet non e contra omnis vis publica sit violatio pacis publicæ, ut ex dicendis patebit. Insuper in Constit. pacis publicæ puniuntur fractores pacis 200. Marc. puri auri, & amissione privilegiorum ab Imperatore concessorum. Actori etiam permittitur electio, ut vel omnes pœnas conjunctim vel divisiim petat. inter quas etiam numeratur pœna gladii. l. *fn. §. 1. ff. de re militari. Miles turbator pacis capite punitur.* quod etiam habetur in Ord. Crimin. a. 128.

483. **Q**uæritur ergo I. **Q**uamnam requirantur ad hoc, ut Pax fracta dicatur, & dictis pœnis locus sit. **2.** Tria requiri. Primum, ut interveniat vis armata: armorum autem appel-

latione venit, quidquid instrumentorum ad nocendum & sternendum idoneum ab extrinseco assumitur, adeoque etiam fustes, lapides &c. ut habetur l. 3. §. 2. alibi relato. *ff. de vi & vi armata.* Secundò, requiritur, ut sit vis major, & cui vix aut difficulter resisti possit, quæque coadunatis pluribus hominibus intentatur. & hæc dicitur *Vis publica armata*, quia in hoc differt vis publica à privata, quia usu armorum privatis hominibus interdictum erat, ut infra dicitur. **Q**uot autem personæ esse debeant, relinquunt arbitrio Judicis, & Camera. Tertio, requiritur Dolus malus, hoc est, ut vis publica proficiscatur ex vero dolo seu malitia, ex estimata nocendi voluntate, præcedente tractatu, & communi consilio. Quia verò dolus malus in animo residet, cujus arcana immediate sub sensu non cadunt, sufficit adesse talia indicia, ex quibus dolus præsumi possit, ut in eadem constitutione dicitur.

484. **Q**uæritur II. An dicta Constitutio non solum ad Principes & Status Imperii pertineat, sed etiam ad privatos homines. **2.** Affirmativè, quia lex est generalis, nec delictum est minus in privatis personis se coadunantibus ad vim alteri communitati inferendam armis, quàm si fiat à Principe vel Statu.

Quæritur III. An ad incurrendas pœnas fractæ pacis requiratur actualis damnum illatum esse. **2.** Negativè, satis est intervenisse vim & invasionem, per hanc enim delictum quoad sua tria requisita consumatur. Imò delictum pronuntiarunt & ad pœnam gladii condemnarunt ob solam præstolationem in occulto loco ad invadendum ex conducto.

485. **Q**uæritur IV. An ex Constitutione allegata possint pœnâ fractæ pacis puniri, qui privatas aedes effringunt, & expugnant, seu spoliant. **2.** Affirmativè, dummodo intervenierint arma, & coadunatio requisita. **Q**uamvis putet Carpovius, Judicem officio suo facturum satis, si talem præcisè ut prædonem pœnâ gladii puniat, & cadaver Rotæ imponat. Quod admiserim, si fortè in probandis requisitis aliqua difficultas esset, alioquin crederem, debere punire secundum proportionem totius delicti, & secundum Jura pœnam exasperare, ne aliquis delicti gradus maneant impunitus, nam sicut ad Judicis officium spectat, non relinquere delicta impunita, ita etiam, non relinquere qualitatem, speciem, aut gradum delicti impunitum, nisi Princeps gratiam faciat.

Huc pertinent, qui adunati armisque adhibitis carceres effringunt, & incarceratos liberant. Nam et si tales nullam personam lædant, possessionem tamen Reipublicæ impugnant; nam crimen fractæ pacis publicæ non solum in perso-

nam

De Delictorum Speciebus, eorumque Pœnis.

nam aut corpus alicujus, sed etiam adversus eundem bona & possessionem committitur, ut constat ex toto tit. *ff. de vi publ.*

486. **Q**uæritur V. Penes quem sit potestas declarandi, aliquem in pœnam Banni Imperialis incidisse. Communior est sententia, solum Imperatorem id posse, ut videre est apud *Gail. lib. 1. de Pace publ. c. 6. n. 8. & seqq.* Nihilominus Carpovius conatur ostendere q. 26. hoc etiam competere Statibus Imperii, licet sententiam in alieno territorio exequi non possint. Sed quia ad meum intentum hoc parum facit, remitto lectorem ad citatum Authorem, ubi rationem in utramque partem legere potest. Et quidquid sit de rationibus, consuetudo est attendenda & observanda.

487. **Q**uæritur VI. Quomodo, & quomodo Constitutio Imperialis Pacis publicæ quoad pœnam Banni in Ecclesiasticis personis effectum habere possit. Respondet Gilhusius ex *Andrea Gail lib. 1. n. 12. & seqq.* quoad illas personas, quæ ratione dignitatis Regalium & Feudorum Imperialium immediate Cæsari & Imperio subiectæ sunt, si hujusmodi Ecclesiasticus Status per se vel per suos pacem publicam manu militari perturbet, citatio super fracta pace in Camera contra eum rectè decretur, & probato delicto condemnatur. Melioris autem in hoc puncto conditionis sunt, quàm Saculares. Nam Ecclesiastici solummodo Regalibus & Privilegiis Imperii, sententiâ declaratoriâ in ipso Consistorio, Judice pro tribunali sedente privantur. Saculares verò publice sub dio ordinariam banni pœnam sustinere coguntur. Ratio differentie est, quia Imperator ob delictum non habet Jurisdictionem in Personis Ecclesiasticas, nisi ratione Regalium & Beneficiorum secularium, ut suo loco dictum est: nec plus illis adimere potest, quàm dedit. Quoad Personas verò Ecclesiasticas privatas vel inferioris ordinis, & non nisi mediâ Imperio subiectas. **2.** Si contra pacem publicam deliquerint, coram suo Ordinario Judice Ecclesiastico conveniri debent, probatoque delicto ab eo puniri, sive per suspensionem ab Officio & Beneficio, sive etiam per depositionem vel degradationem, pro gravitate delicti, prout in ipsa Constitutione disponitur conformiter Juri communi.

488. **Q**uæritur VI. Quâ ratione possint feminæ incidere in bannum Imperiale. **2.** Si vim publicam per suos præfectos alteri inferri mandaverint, aut contra placita pacis publicæ bannitos Imperii recto vel hospitio receperint, aut mandatis Cæsaris executorialibus obstinate non paruerint, in bannum declarantur, salvo tamen eorum pudore & verecundiâ, & instar personarum Ecclesiasticarum omnibus Benefici-

is, bonis, ac privilegiis Juris communis & municipalis privantur. *Gail. loco cit. n. 34.* Plura circa Constitutionem Pacis publicæ videri possunt apud Gilhusium, qui eam totam perpendit.

Parricidium.

SUMMARIUM.

Definitio Parricidii. 489.
Quamnam in Jure constituta sit pœna Parricidii. 490.

An pœna l. 9. ff. ad L. Pomp. de parricid. hodie sit in usu. 491.

Quæ pœnarum diversitas observanda sit pro diversitate conjunctionis. & imprimis de occidentibus aliquem ex ascendentibus, item vitricum, novercam, socerum, socram. 492. & seqq.

Quæ pœnâ afficienda mater, exponens vel abiciens prolem natam. 496.

Quamnam sit pœna Coniugidii. 497. & seqq.

Quæ pœnâ occidentium consanguineos laterales. 499.

Quomodo puniendus, qui parricidium commisit præter directam intentionem. 500.

Primus hujus delicti casus, quando ex actu dolo prævideri potuit occisio sententur. 501.

Secundus casus, quando ex illicito actu per incircumspectionem & stultitiam seu imprudentiam sequitur. 502.

Tertio, quando ex culpa levi. 503.

An in Parricidii delicto puniendo debeat constare de corpore delicti. 504.

An confici crimini committendi qui non manifestant, sint puniendi pœnâ ordinaria. 505.

An in hoc delicto puniatur conatus, absque effectu. 506. & seqq.

An ab ordinaria pœna excuset iracundia vehemens. 510.

An item, qui præter intentionem, volens alium occidere, occidit patrem &c. 511.

Quid sit ante ipsam mortem delinquens pœniteat, & desistat, sed nimis serò. 512.

An mixtetur pœna ob defectum ætatis majoris. 513.

An ab ordinaria pœna recedendum, si silius v. g. iussu matris occidat infantem. 514.

Item, si puella occidat infantem suum. 515.

An excuset Ebrietas vel Melancholia remissivè eod.

489. **A**D Parricidium revocantur quadam habentia ceteroquin speciale nomen, ut Infanticidium, Uxoridicium, Maricidium, Quæ

Quæ

Quare etiam de his agatur sub hoc titulo. Itaque

Patricidium, prout hoc loco semitur, est cades nefaria contra pietatem & Jus sanguinis in ascendentes, descendentes, transversales, & affines perpetrata. Unde inter patricidas numerantur in l. i. ff. ad L. Pompeiam de parricid. [Si quis Patrem, Matrem, Avum, Aviam, Fratrem, Sororem, Patruum, Avunculum, Amitam, Consobrinum, Consobrinam, Uxorem, Virum, Generum, Socrum, Vitricum, Privignum, Privignam, Patronum, Patronam, occiderit, cujusve dolo id factum erit. Deinde adnumeratur Mater, quæ filium aut filiam occidit, & avus qui nepotem occidit. Sed mirum videri posset, quod nulla mentio Patris filium occidentis fiat: * Ratio redditur, quia licebat olim patri filium trucidare sine crimine, Jure scilicet patrie potestatis. Unde quod de Avo dicitur, putat merito Bachovius, esse intelligendum de Avo materno, adderem ego, vel de Avo non habente nepotem in patria potestate.]

490. Quæritur I. Quænam in Jure constituta sit pœna Parricidarum. Romani excogitarunt pœnam sanè horrendam, quam refert Modestinus in l. 9. ff. ad C. Pomp. de parricid. [Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgine sanguine verberatus, deinde culeo insitatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, deinde in mare profundum culeus jactetur; hoc ita si mare proximum sit: alioquin bestis objiciatur, secundum D. Hadriani Constitutionem.] Paulò accuratius ponitur in §. 6. Instit. de publicis Judicis. [Alia deinde lex aspernium cimen novâ pœnâ persequitur, quæ Pompeja de Parricidiis vocatur. quæ cavetur, ut si quis parentis aut filii, aut omnino affinitatis (rectius legitur: affectionis) ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, facta preparaverit, (sive clam sive palam id ausus fuerit) necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel confcius criminis existit, licet extraneus sit, pœnâ parricidii puniatur, & neque gladio, neq; ignibus, neq; ulli alii solenni pœnâ subjiciatur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnam legis Corneliæ de Sicariis sustinebit.] Quænam autem fuerit ratio, quatuor hæc genera seu species animalium includendi, non vacat investigare: sanè aliquæ fatis ridiculæ solent assignari, qualis est de Gallo, eum ideo includi, ut suo cantu non

permitteret reum dormire, quasi verò Gallus ita in angustia positus sit multum cantaturus, & reus multum dormiturus.

491. Dubitatur, utrum hæc lex hodieque sit in usu. Innumeri AA. testantur, eam non esse in usu, quos longo catalogo refert Berlichius n. 5. concl. 6. Illis se ex Recentioribus opponunt Saxones, præsertim Berlichius & Carpovius, quorum tamen argumenta, nisi fallor, scopum non tangunt: nam solum probant, legem hujus pœnæ non esse per contrariam consuetudinem abrogatam, ita ut non possit amplius jure insigi. Hoc sanè non est contra AA. qui plus non asserunt, quam eam in praxi non observari, eò quòd forte Principes malint ob animarum salutem clementius agi, prout sapè cum aliis reis, ut Monetariis, Sagis &c. observatur. Quòd autem ipso usu hæc pœna in plerisque provinciis non præctetur, stultum esset negare. Damhouderus testatur, apud se (id est Brugæ) parricidas ad caudam equi, vel ad vehiculum affixos, & tunc vimineas insidentes aut asseri, de decorosè pertrahi ad locum supplicii, ubi decolatorum corpora rotæ affiguntur, & omnia bona confiscantur. In Hispania, teste Clato, strangulati dolo includuntur, & in flumen projiciuntur. Alibi forcipibus lacerati decollantur, teste Vulteio alibi, teste Perez, vivi defodiuntur: alibi in 4. partes secantur: alibi dolo vivi inclusi in flumen projiciuntur: Alibi feris vel canibus objiciuntur lacerandi.

Imò in ipsa Saxonia, cujus Constitutionibus illa legis Pomp: pœna inserta est, nec tamen penitus servatur, nam reus insuitur lineo sacco, facillè ab aqua penetrabili. 2. loco simiæ (quæ haberi non possunt) includitur felis. 3. loco viperarum vivarum includuntur vipera picta in charta, si vivæ haberi non possunt. Sed non apparet, quid molestiarum afferant vipera picta, & sicut loco simiæ vivæ non picta, sed felis, cur loco viperarum non aliquod aliud animal, vel aliquod genus piscium includatur. Verùm hoc examinare non est meum.

492. Gravius dubium est, quæ pœnarum diversitas observanda sit pro diversitate conjunctionis inter occidentem & occiditum. Non enim est æqualis enormitas inter occidentem verum suum patrem, & occidentem vitricum, vel fratrem, vel affinem &c. Et tamen hi omnes sunt parricidæ.

Et quidem de occidentibus aliquem vel aliquam ex ascendebus tam masculini quam feminini generis, est extra dubium, in talem cadere pœnam Legis Pompejæ, vel quæ illi est substituta, hoc est omnium acerbissima in parricidas statuta, quia est omnium propriissimum & gravissimum patricidium, adimere vitam illis, quibus

bus acceptam ferri debet. Quæ ratio etiam militat in filiis spuris, ex damnato coitu natis, incestuosis, sacrilegis.

493. Controversia est de illis, qui ex affinis loco parentum habentur, ut sunt Vitricus, & Noverca, fover & focrus. Rationem dubitandi facit textus ex Institutionibus allatus, ubi dicitur: aut omnino affinitatis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur. Atqui non apparet, quoniam alii affines nomine parentum nuncupentur, quam recentis. Ad hanc dubitandi rationem respondet Carpovius, textum esse corruptum, & legendum: Affectionis. Ità est, & id jam supra notavi. Nec hoc temerè dicitur, nã textus ille est desumptus ex lege un. C. de his qui parentes vel liberos occiderunt. ubi legitur Affectionis. Quo vocabulo videtur Imperator voluisse comprehendere solos veros ascendentes, ex quibus vita profecta est, sive sint immediati, sive mediati, sive legitimi, sive illegitimi. Itaque quamvis Farinacius, Tuscus, Decianus, Damhouderus, Menochius & alij, quos sequitur Berlichius, asserunt, etiam hos teneri pœnâ illâ rigidissimâ, probabilis tamen est sententia Scabiorum recentiorum, quos sequitur Carpovius, mitius esse tales puniendos, qui Vitricum, Novercam &c. occidunt, quia hi tantum impropiè Parentes dicuntur, & ideo lex in re odiosa non est nisi cum proprietate verborum accipienda. Imò ipse textus in §. i. legis. 9. manifestè id sibi velle videtur. [Qui alias personas occiderit præter matrem & patrem, & avum & aviam, quos more majorum puniri supra diximus, capitis pœnâ plectuntur, aut ultimo supplicio multantur.] Poterit tamen Judex, arbitrio suo, pro qualitate criminis, pœnam exasperare.

494. Vidimus de pœnâ occidentium ascendentes, nunc de proximo malitiæ gradu videndum est, nempe occidentium descendentes, quò pertinet Infanticidium, quod sæpius committi solet à puellis imprægnatis ex abominandâ verecundia.

Non desunt DD. qui putent, pœnam gladii adæquare delictum occidii prolis illegitimæ. Verius tamen est, in atrocitate pœnæ nullum faciendum esse discrimen inter occidentem patrem vel matrem, & occidentem suam prolem qualemcunque, ob rationem paulò ante assignatam, quia atrocitas delicti & crudelitas in proprium sanguinem non minuitur ex illegitimitate: sicut etiam non minus graviter peccat, qui seipsum illegitimum occidit, ac qui se legitimum. Quæcunque ergo pœna in aliquo loco recepta est in occidente ascendente, eadem jure observari potest, imò & à Jure inferiore (cujus non est in gravitate pœnæ minuenda gratiam facere) observari debet. Quod tamen intelligendum est,

nisi circumstantiæ in modo occidendi, vel personæ conditione & qualitate aliud exigant: item si certum sit, & occidit fuerit, prolem esse suam. Unde qui negans prolem esse suam, vel certè id summe dubium est, quia constat, meretricem fuisse pluribus communem, tunc pœnâ gladii, secundum Scabiorum sententiam, sufficit.

495. Confirmatur autem asserio, quia lex unica C. de his qui parentes, vel liberos occiderunt. generaliter loquitur, nullâ insinuatâ differentia inter legitimam & illegitimam prolem. Quòd autem quandoque intuitu personæ, ejusve ætatis, &c. possit sufficere pœnâ gladii, quamvis hoc neget Carpov. exigens summum rigorem §. 9. m. 27. nuptimè tamen, & dum hæc scribo, hic Ingolstadtii puella, quæ, neglecto Baptismate, infantem digito in os immisso, ne clamaret, suffocavit, non nisi gladio punita est, quamvis ignotum, quæ circumstantiæ delictum minuente intervenierint. Fortè, quòd puella erat minorennis; Nam ipse Carpovius q. 18. n. 28. docet, puellam quæ non sit major sedecim annis, non nisi gladio puniendam esse. Alioquin enim in parricidio observanda esset pœna Juis communis, per artic. 10. Process. Crimin. tit. 8.

496. Sicut dictum est, inter ascendentes, & descendentes, ob correlationem, non esse in pœnâ discrimen per se loquendo, ita pariter dicendum est, mitiorem pœnam quæ infligitur privigno occidenti vitricum, esse ob correlationem etiam infligendam vitrico occidenti privignum.

497. Disputant DD. quæ pœnâ sit afflicta mater exponens prolem natam, vel abjectam. In quo puncto Carpovius tres casus distinguit q. 10. Primus est, quando infans in locum solitarium, & à conspectu hominum remotum abjicitur, eo animo & sine, ut sibi invidiâ conficiatur: quo casu, effectû secuto, gladio, hoc est, pœnâ legis Corn. de sicariis, puniuntur. Concordat Ordinatio Crimin. a. 132. quæ pro conditione delicti statuit pœnam mortis. Quamvis Scabini semel iterumque pœnam ordinariam parricidii dicant, ex eo fundamento, quòd nihil interfit, an quis manu occidat, an caudam det ut per se intreat proles, omni naturali auxilio destituta.

Secundus casus est. Si parens infantem, non quidem animo occidendi, neque in locum solitarium, sed in ejusmodi locum, quo homines frequenter ambulant, v. g. in platea, vel ad alijus aedes exponit, ut ab aliis alatur, parens verò vituperium declinet. Quo casu, si infans, fortè setius reperitur, aut desertus moriatur, putat Carpovius sufficere pœnam suffocationis: & videtur eadem esse mens Catalinæ Ord. dum dicit disjunctivè: Vel in corpore, vel in vita puni-

nientos esse, qui exponunt infantem, pro qualitate delicti.

Tertius casus est, quando per expositionem infans non moritur, sed incolumis perseverat. Quo casu videtur sufficere relegatio: nam Carolina Ord. expressè loquitur, si infans moriatur.

497. Tertia Parricidii species, & quoad malitiam gradus numeratur à Jureconsultis Conjugicidium. Quenam autem sit illius pœna, DD. non conveniunt. Esse pœnam eandem, quam diximus esse in prioribus, tenent Decianus Ant. Gomez, & alii, quos sequitur Berlichius, & Carpozovius. Tenet solum pœnâ L. Corn. de scariis, h. e. pœnâ gladii, tenet cum aliis Farinacius q. 120. n. 131. Menochius, & VVesenbergius. Et mihi verius videtur, quamvis non negem, esse arbitrio Judicis exasperandam, ob majorem enormitatem quæ est in nece conjugis, quam alio simplici homicidio.

Probat hæc sententia argumento negativo, quia nullo claro jure pœna illa gravissima est huic delicto constituta. Non quidem lege. 1. ff. ad L. Pomp. de parricid. Ex eo enim quod ibi tales numerentur inter parricidas, non licet inferre, eandem pœnâ teneri, quâ tenetur filius occidens patrem, ut ex adversariis fatetur Carpozovius n. 7. Nam ibi plures alie personæ enumerantur, in quibus dicitur perpetrari parricidium, & tamen non puniri pœnâ illâ cui fatentur ipsi adversarii, & patet ex supra dictis, & ipso contextu relato.

498. Neque etiam videtur mihi sufficienter probati à Carpozovio ex lege unica C. de his qui parentes. Neque enim credo, ibi per Affectionem intelligi affectionem conjugalem. Nam licet addatur: *quæ nuncupatione parricidii continetur*. hæc tamen affectio non propterea potest extendi ad omnem affectionem intercedentem inter personas in l. 1. ff. h. r. recensitas, ut fatetur ipse Carpozovius. utique enim etiam inter generum & socerum, inter viticium & privignum &c. est quædam affectio, & hæc personæ ibidem enumerantur, & tamen non tenentur pœnâ cuius. Censeo itaque sensum illorum verborum esse, prout ponitur in Institutionibus, ubi §. 6. loco Parricidii ponitur: *Parentum*. Et ipse Carpozovius fatetur, illum, §. esse ex hac lege unica delumptum. Subsumo. Atqui Conjuges non veniunt nomine Parentum: Ergo de his non loquitur lex unica: Imò potius hac lege videntur conjuges excludi: quemadmodum etiam sponsi & sponse excluduntur (nam hic unius inclusio est alterius exclusio) ut ipse Carpozovius fatetur debet, cum nolit tales pœnâ cuius puniri, etiam si sint sponsi per verba de presenti: Et tamen tales inter parricidas numerantur. l. 3. ff.

h. r. ibi. Sed & Novæ, & sponse personæ omittuntur, (in lege Pompeia) sententia tamen legis continentur. hoc est, ut ipse Carpozovius n. 39. interpretatur, inter parricidas numerantur.

499. Quarta denique species Parricidii committitur à consanguineis lateralibus & affinis, si se invicem occidunt, ut patet ex textibus allatis. Quanam autem illius pœna sit, an ordinaria, hoc est, cuius, vel legis Corneliæ de scariis, cum proportionata exasperatione, facile ex hæcenus dictis concludi potest, contra severiores DD. Constat enim ex hæcenus dictis, tales quidem numerari inter parricidas, sed pœnam cuius esse restrictam ad solam affectionem, quæ est inter conjunctos in linea recta. Concludo igitur cum Carpozovio, tales sufficienter puniri si pœna legis Corneliæ exasperetur, v. g. per tractionem ignominiosam ad locum supplicii, per aduersionem, per cadaveris dissectionem, aut Roræ impositionem, pro diversitate gradus in quo conjuncti sunt. Sic restat Farinacius q. 120. n. 13. Romæ quendam fratricidam capite obruncatum, & postea in frustra scissum fuisse.

Regula autem est, ad eos solum gradus extendi hæc parricidii species, & pœne exasperationem, in quibus est impedimentum dirimens matrimonium, id est, ad quartum inclusivè, secundum canonicam computationem. His ita præmissis, restant aliqua dubia expedienda.

500. Queritur itaque II. An, & quomodo puniendus sit, qui non ex proposito & dolo malo, seu cum intentione directa parricidium commisit. Nam talem non teneri pœnâ ordinariâ certum est ex juribus adductis, ubi dolum malum & propositum requiritur, & in eo gravitas ac enormitas hujus delicti consistit. Quomodo quidem variis modis potest parricidium, sicut quodvis homicidium, præter intentionem operantis accidere, generalis regula est, ad Judicis arbitrium, consideratâ facti qualitate, pertinere, an & quanta pœna sit infligenda. Pro instructione Judicis ponit Carpozovius varios casus.

501. Primus casus est, quando parricidium non quidem intenditur, sed ex actu dolo immediate sequitur, v. g. si quis liberus vel conjugem castigando talibus instrumentis pœtur, quibus communiter solet homicidium perpetrari, quo casu tenebitur pœnâ leg. Corn. de scariis. hoc est gladii. Ratio est, quia ut supra de homicidio dictum est, talis præsumitur previdisse, non esse in sua potestate, ita moderari hujusmodi arma, ut non infligantur vulnera lethalia: quod sufficit ad pœnam legis Corneliæ, quia censetur implicitè & indirectè in securam necem consentire. Imò mihi nullum dubium est, posse

posse pœnam gladii exasperari, quia talis gravior delinquit, quam si v. g. famulum ita percuteret, & tamen in casu de quo loquimur, puniretur ita peccatis pœnâ gladii, nisi aliqua circumstantia excuset. ergo & pœna exasperari potest. Quod si tamen ex aliis circumstantiis moraliter constaret, Judicis, reum nullo modo ita percuturum fuisse, si periculû inferendæ mortis apprehendisset, non credo, quod talem posset pœnâ gladii punire. Ratio est, quia, ut supra cum communi sententia, contra Carpozovium defendi, ad hæc pœnam requiritur saltem animus taliter percutiendi, non curando quid sequatur, quamvis forte mallet mortem non sequi. Videantur ibi dicta.

502. Secundus casus est. Quando parricidium neque ex proposito committitur, neque etiam ex actu dolo (modo descripto) immediate provenit, ex deviatione tamen incircumspecta, imprudentia, & stultitia, actuque illicito causa parricidii præbetur. v. g. si femina partum occultè enixa, in abscondendis vasibus umbilicibus imperita, ea non ligat, unde infans sanguinando moritur præter intentionem matris, quæ tamen culpabilis est, quod occultè hæc fecerit, & ideo Scabini pœnam fustigationis dicantur.

Aliud exemplum esset, si quis uxorem aut filium in præcipiti ira, circa præcordia pugno vel alio instrumento ita vehementer percuteret, ut præclusa respirandi facultate suffocaretur, vel vena rumpeteretur, unde moriendum esset. Item qui ex lata culpa medicinam ineptam daret, unde moriendum erit.

503. Tertius casus est, quando quis neque in dolo neque in culpa lata versatur, incircumspectè tamen agendo & faciendo, aut omitendo id, quod diligens & circumspectus non solet, parricidio causam præbet, v. g. si infans à matre dormiente in lecto opprimatur, cum non soleant consideratæ matres infantem secum in lecto collocare, talis posset puniri vel relegatione ad tempus, vel carcere, vel in pecunia. Quod enim talis præsumitur non omni culpa carere, colligitur ex cap. fin. de his qui s. Occid. ibi. *Non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna, sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit.*

504. Queritur III. An etiam in hoc parricidii crimine debeat constare de corpore delicti, nec sufficiat confessio rei. Affirmative, per regulam generalem, quod in illis delictis, quæ sunt facti permanentis, & de cujus effectu seu consummatione quoad substantiam effectus potest aliunde constare, ad pœnam ordinariam infligendam requiritur, ut constet de corpore delicti, ut supra traditum est. Ali-

quando tamen sufficit constare per conjecturas legitimas & probabiles, quando reus fatetur delictum ita perpetratum esse, v. g. cadaver in mare abjectum esse, ut inspecto corpore haberi non possit. Aliquando etiam satis est, apparere corpus occisum, etiam si nullum vulnus aut aliud signum in corpore appareat, v. g. si mater fateatur, se infantem occidisse suffocando per immissum in os digitum: tunc enim sufficit, apparere cadaver infantis. Ita reipsa ex communi DD. Carpozov. q. 16. ubi etiam recentè indicia sufficientia, v. g. si occisus paulò antè sanus à pluribus visus est, & deinde non amplius comparuit. Imò sufficit unus testis de cadavere viso, si per torturam accedat confessio, ejusmodi etiam indicium sufficiens esse judicantur Scabini, si testes viderunt Secundinas, & vestes mulieris sanguine conspersas, cum aliis admiculis probantibus, quod secundina non fuerint ejectæ sine infante. Et hæc quidem indicia videntur sufficere ad pœnam ordinariam parricidii: minoræ vero, sed probabilitatem aliquam & præsumptionem facientia possunt sufficere ad pœnam gladii, v. g. si ex inspectione juratae obstetricum habetur, fuisse gravidam, & repente desit venter, & infans non appareat, præsumitur esse enixa vivum infantem, & accedente confessione infanticidii, sicut à Scabinis dicta pœna gladii. Omnibus hujusmodi indicibus deficientibus cessat pœna mortis, & alia arbitraria est infligenda. denique Judex dubius de sufficientia indiciorum, turè benigniorem sententiam sequetur, & in favorem rei pronuntiabit.

505. Queritur IV. An etiam consensu criminis committendi, nec illud manifestantes, cum possent, sint puniendi pœnâ ordinariâ. Affirmative, ita tamen, si sint cooperati, alioquin extra ordinem puniendi. Et ita intelligenda est lex 6. §. 7. ff. h. r. [Utrum qui occiderint parentes, an etiam consensu pœnâ parricidii afficiantur, queri potest. & ait Marcianus, etiam consensu eadem pœnâ afficiendos, non solum parricidas: proinde consensu etiam extranei eadem pœnâ afficiendi sunt.] Intelligenda, inquam si cooperatus fuerit, juxta legem 2. cod. tit. *Frater autem ejus qui cognoverat tantum, nec patri indicaverat, relegatus est. Medicus supplicio afficitur.* Unde inferunt DD. Medicum, Pharmacopolam, Chirurum vel quemcumque alium liberis aut parentibus scienter & dolo ad parricidium committendum venentem, vel pecuniam quâ venenum comparant, vel latrones constituant (ut habetur in l. 7. cod.) suppeditantem, eodem cum ipsis parricidis supplicio afficiendum esse.

506. Queritur V. An in hoc crimine puniatur conatus seu attemptatus, non secuto esse.

effectu. Rationem dubitandi facit imprimis lex 1. in fine ff. h. r. i. ibi. *Et praterea quæritur venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare.* Ex quibus verbis inferant innumeri DD. talem conatum esse puniendum pœnâ ordinariâ culei, vel quæ per consuetudinem illi in parricidio strictè sumpro substituta est. Deinde, hoc videtur probari ex regula generali, quod in atrocioribus delictis conatus æque puniatur, ac crimen consummatum. Quod attinet ad hanc regulam generalem, testantur ferè communiter DD. eam saltem in aliis criminibus in desuetudinem abiisse, & ideo aliqui idem dicunt esse in parricidio. Julius Clarus §. fin. q. 29. n. 2. (cujus sententiam verissimam judicat Carpov.) rem ita definit. Aut lex vel statutum in hujusmodi atrocissimis expressè punit solum conatum, & standum est: aut non punit expressè conatum, & standum est generali consuetudine, ut conatus non puniatur nisi sequatur effectus. (*intellige pœnâ ordinariâ*) & hæc opinio, meo iudicio tutior est. Nihilominus, quia pluries vidi, in his casibus diversimodè judicari, quandoque puniendo conatum in atrocissimis pœnâ ordinariâ, & quandoque pœnâ extraordinariâ, crederem in practica posse Judicem adherere, cui opinioni maluerit, inspectâ facti & personarum qualitate: consulo tamen, ut semper in mitiorem partem inclinet. Verum, per hæc quæ solum dicta sunt de generali consuetudine, non est expedita difficultas præfens. Nam additur quæritur, an adductus textus legis r. revera statuat expressè pœnam ordinariâ culei filio volenti patrem occidere veneno, sed non danti, quia non potuit. Ad hoc tamen responderi potest cum Carpovio n. 8. illam totam legem nullam facere mentionem specialem pœnæ culei, sed solum pœnæ legis Corn. de Siccariis. Quæ responsio sustineri potest, sed difficultate non caret, quatenus videtur velle, eadè pœnâ teneri talem filium, atque teneri mater occidens filium, de qua uno contextu loquitur. Sed quia in re obscura, dubia & odiosa, licet sequi, & etiam oportet, partem mitiorem, ideo pro majori distinctione, cum citato Auctore

507. Dicendum videtur I. Quando reus per attentatum actum eò progressus est, ut jam ingens damnum in alterius valetudine vel mortis acceleratione causaverit, vel conatum suum aliquoties iteraverit, potest Judex dicere pœnam gladii. Ratio est, quia licet intentio inferendi mortem non sit plenè effectui data, animus tamen non desuit, & insuper effectus notabilis secutus est: ergo licet pœna ordinariâ remittatur, eo quod dubium sit, an eam sit promeritus, pœna tamen gladii, quæ longè mitior est, non potest censei nimia respectu tam gravis delicti, prout Scabini dicta-

runt puellæ projicienti infantem in latrinam, animo occidendi, quamvis evaserit infans usque ad sextum diem, & viro qui per venenum ter uxori præbitum, graves dolores caulavit in capite & ventriculo.

508. Dicendum videtur II. Si ad actum proximum nullam notabilem dampnum secutum est, non est pœna mortis decretenda, sed mitior, v. g. fustigatio cum relegatione. Ratio est, quia Ordinatio Carolina art. 178. non præmittit Judicis arbitrio pœnitionem parricidii attentati, Atqui Judicis arbitrium non nisi lege expressè usque ad mortem extendenda est, non item quædo ex probabili DD. auctoritate potest salvâ lege mitiorem partem eligere, prout in præfenti posse constat ex supra dictis.

509. Dicendum III. Quando parricidium quidem attentatum est, sed non nisi peractum remotum, v. g. si quis leviter caput percutere, vel emit venenum, sed non præparavit ad propinandum, forte quia penitentia ductus, poterit talis relegatione, vel carcere, aut multa pecuniariâ plecti. Sic puniverit Scabini aliquem, qui privignam infantem sesqui annis circa umbilicum & pectus digitis & unguibus constringendo occideret tentaverat, ut ejus hereditatem lucraretur.

510. Quæritur VI. An ab Ordinaria pœna excuset iracundia vehemens, quæ reus ad parricidium perpetrandum commotus est. Affirmant communiter DD. per rationem. Quod difficillimum sit justum dolorem temperare, & ideo ita, utpote inentis turbativa, minuit delictum etiam in foro conscientiæ, quia minuit libertatem. Existimarem tamen, esse distinguendum inter iram & iram. Si enim excitata est ira ab aliquo actu occisi, & tali quidem, qui spectatâ communi hominum complexione, solet ad gravem iram commovere, v. g. si maritus occidit uxorem in adulterio deprehensam (quod est exemplum Julii Clari §. fin. q. 60. n. 19.) vel si uxor maritum invasisset, & verbis injuriolis, forte in præsentia viciniæ, vel etiam verberibus pulsasset, tali casu concederem communi sententiæ, sufficere pœnam gladii præcisè, & forte etiam, Judicis arbitrio, mitiorem, si de animi nimia perturbatione illi constaret. Si verò ira potius proveniret a consueta petulantia rei, qui seipsum ex quavis levi causa solutus est ad vehementer iram commovere, vix mihi persuadeco, ratione talis ita recedendum esse à pœna ordinariâ, alioquin facile poterunt parricidia ab ordinariâ pœna liberari. Unde non satis percipio, quod fuerit sufficiens causa liberandi ab ordinariâ pœna (ut liberarunt Scabini apud Carp. q. 18. n. 13.) maritum, qui uxorem occidit, præcisè, quod ad ejus mandatum noluerit accendere candellam. Sed de hoc aliorum esto iudicium.

511. Quæ

511. Quæritur VII. An ut Parricida puniendus sit, qui præter intentionem patrem occidit, volens occidere alium, forte quia parens intervenit non advertente filio. R. Talem non nisi ut simplicem homicidam puniendum esse. Ratio est, quia circumstantia parricidii, utpote ignorata invincibiliter ignorantia antecedente, ut Theologi loquuntur, non est illi voluntaria, sed potius simpliciter involuntaria esse præsumitur. Quia tamen supponitur illi esse voluntarium in ratione Homicidii, erit obnoxius pœnæ legis Corn. de Siccariis, nam, ut supra dictum, & explicatum est, in tali casu error in persona non excusat.

512. Quæritur VIII. An mitiganda sit ordinariâ pœna, quando ante ipsam mortem ex actu secutum, delinquens peniteat desistendo ab actu, sed nimis serò, & mors adhuc secuta sit. Scabini Lipsenses pronuntiarunt sufficere pœnam gladii, quam digitarunt famina nobili, quæ volens occidere infantem eum comprimendo, infante ejulante desistit, desiderans eum non morti. Itaque licet penitentia serâ non liberet ab omni pœna, quia non ab omni culpa, meretur tamen penitentia mitigacionem: ut patet in eo, qui contra statutum recipiens bannitum, deinde penitentia ductus eum prodit, cui pœna mitigatur de jure communi.

513. Quæritur IX. An etiam in hoc crimine mitigetur pœna ordinariâ ob defectum ætatis majoris. R. Ex communi DD. affirmativè, saltem si non excessit delinquens Decimum sextum annum, prout jam supra ex Carpovio retuli, qui n. 28. quædam præjudicia refert: inter quæ tamen illud quod ex Menochio refert, de adolescente 16. annorum qui patrem occiderat, & ad perpetuas tristes condemnatus est, mihi suspectum est, ex aliis causis à pœna ultimi supplicii fuisse recessum.

514. Quæritur X. An ab ordinariâ pœna recedendum, si filia v. g. jussu matris occidat infantem. DD. communiter affirmant, quos sequitur Carpov. n. 46. substituens pœnam gladii. Ratio esse videtur, quia apprehensio debite reverentiæ mandatis paternis aut maternis, minuit in talibus malitiam animi, per regulam 4. ff. de R. J. ubi dicitur: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris.*

515. Quæritur XI. An excusetur ab ordinariâ pœna, puella infantem suum necans ex metu parentum. Affirmat iterum Carpovius substituens pœnam gladii. Quod quidem difficultatem habet: hæc enim ratione poterunt hujusmodi infanticidia pleraque ab ordinariâ pœna excusari, cum vix unquam fiant, nisi ex vehementi metu confusionis aut pœnæ, sive à parentibus, sive à Magistratu infligenda. Nihilominus

minus censeo, hoc prudenti Judicis arbitrio relinqui posse, & pro majori Securitate gratiam à Principe petendam, prout etiam Scabini videntur insinuasse in casu quem refert citatus Author. n. 52.

De excusatione per Ebrietatem vel Melancholiam quid dicendum sit, constat ex alibi dictis, & est excusatio generalis ad alia delicta, de qua dicitur infra tract. seq. cap. 11. contr. 5. Et hæc de Parricidio.

Partus Expofitio.

SUMMARIUM.

Quæ sit pœna constituta exponenti prolem alienam misericordie. 516.
An educator acquirat jus patronatus. eod.

516. DE hoc crimine dictum est præcedente titulo, in quantum potest habere rationem parricidii, si infans exponatur in loco solitario, ubi necessitatio petire debet. Ceterum exstat in Codice titulus §. 2. lib. 8. de infantibus expositis. Nunc autem

Quæritur I. Quâ pœnâ plectatur à Jure, qui prolem exponit alienæ misericordie. R. Si exposuit, nullâ ad id necessitate egestatis compulsi, amittit Jus patrie potestatis, & extra ordinem, Judicis arbitrio punitur. arg. l. 2. C. rit. cit. [Unusquisque sobolem suam nutriet, quod si exponendam putaverit, animam vestroni quæ constituta est, subiacet. Sed nec dominis, vel patronis repetendi aditum relinquitur, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordie amica collegerit: nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contemplit.] Quæ ratio cum etiam procedat in parente, rectè inferitur, amissam esse patriam potestatem. Neque tamen educator acquirat ullum Jus patronatus, ut habetur in lege finali. eod. ibi. *ij modis omnibus liberi sint.* Quod autem pœnâ arbitrariâ puniantur, habetur etiam in Ord. Carol. art.

132.



Z

Pecu-

Peculatus. Ubi de Sacrilegio,
& Residuis.

SUMMARIUM.

Peculatus definitio. 517.

Quid hic nomine Pecunie publicæ intelligatur. 518.

An Peculatus sit furtum pecunie publicæ alicujus civitatis. 519.

Item furtum rei sacræ. 520.

Furtum sacrilegum quomodo sumatur Jure Canonico. eod.

Quænam sit pœna peculatus non sacrilegi. 521.

Quænam Peculatus sacrilegi. 522.

Quid sit Judicium de Residuis. 523.

Furti Residuorum pœna. eod.

§ 17. **D**e crimine Peculatus, Sacrilegii, & Residuorum, est titulus 15. libri 48. Digestorum, & lex unica C. lib. 9. tit. 28. Definitur Peculatus, Pecunie publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit. l. 9. §. 2. ff. ad L. Jul. Pecul. unde inferitur ibid. & ideo aditum, in his quæ ei tradita sunt, peculatum non admittit, nempe quia ejus periculo fuit. Nam si furetur quis pecuniam publicam, cujus periculo fuit, is delinquit in legem Juliam de residuis, de qua agitur eodem tit. Peculatus.

§ 18. **Q**uæritur I. Quid hic nomine Pecunie publicæ intelligatur. *re.* Intelligi illam, quæ ad Rempublicam seu Urbem Romanam, sive, ad Cæsarem spectat, accipiendum vocabulum Pecunia largè, pro quacunque re, sive in corpore, sive in quantitate consistat, ut colligitur ex lege 4. §. fin. [Sed et si de re civitatis aliquid subripiatur, constitutionibus Principum caveatur, peculatus crimen committi, & hoc Jure utitur.] Hinc

§ 19. **Q**uæritur II. An crimen peculatus committatur, si quis, cuicumque civitati ex pecunia publica furetur. Rationem dubitandi facit adductus textus, per verbum, *Civitatibus*. Nihilominus communi DD. sensu contra Alciatum & Duarennum negandum est, quia per illud vocabulum denotatur Civitas Romana. Et ideo talis solummodo de simplici furto tenetur, per expressum textum in lege 81. ff. de furtis. *Ob pecuniam civitati subtraham actione furti, non crimine peculatus tenetur.* Ratio est, quia aliæ civitates non gaudent publico Jure, sed privatorum Jure censentur, ut habetur, l. 15. §. 19. ff. de P. S. [Bona Civitatis abusive publica dicta

sunt, sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt. Eum qui vestigal populi Romani conductam habet, Publicanum appellamus, nam publica appellatio in compluribus causis ad Populum Romanum respicit: Civitates enim privatorum loco habentur.]

220. **Q**uæritur III. An qui furatur Rem sacræ, committat crimen Peculatus. *re.* Affirmative. ut patet ex definitione allata. Vocatur autem furtum hujusmodi Sacrilegium. Circa quod

Adverendum est, Sacrilegium seu furtum Sacrilegum latius accipi Jure Canonico quam Jure Civili. Jure Canonico Sacrilegium est furtum vel rei sacræ, vel ex loco sacro factum, adeoque alterutrum sufficit, nempe etiam si res facta ex loco profano surripitur, vel ex loco sacro res profana: can. 20. ca. 17. q. 4. ubi characterè diverso dicitur: [Sacrilegium igitur est, quoties quis sacrum violat, vel aufertendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro.] & repetitur in can. 21. sequente. Quod ipsum amplectitur Ord. Carolina a. 171. & ideo in Imperio hodie sunt tres species Sacrilegii furti, de quarum pœnis infra dicitur.

Jure Civili verò, ut Sacrilegium, tanquam Species peculatus committi dicatur, duo copulativè requiruntur, sc. ut res sacra sit sublata de loco sacro. Alterutro deficiente punietur ut simplex furtum. arg. legis 5. ff. h. t. [Divi Severus & Antoninus restituerunt, res privatorum si in ædem sacræ depositæ subreptæ fuerint, furti actionem, non sacrilegii, esse.] Verùm, in Imperio Romano observanda est triplex species secundum Jus Canonicum, ex Ord. Carol. citata.

§ 21. **Q**uæritur IV. Quænam sit pœna Peculatus non Sacrilegi. *re.* Esse Deportationem. l. 3. ff. h. t. [Peculatus pœna aquæ & ignis interdictionis, in quam hodie successit deportatio, continet. Porro qui in eum statum deducitur, sicut omnia præstina Jura, ita & bona amittit.] Et hæc lex est accipienda de personis privatis, & patitur duas exceptiones, quarum prima habetur lege 6. §. 2. nempe, si quis ex metallis Cæsarianis aurum, argentumve furatus fuerit, ex edicto D. Pii exilio vel metallo, prout dignitas personæ, punietur &c. si constaverit, in quadruplum condemnatur. Secunda habetur lege 13. ff. eod. [Is qui prædam ab hostibus captam subripuit, lege peculatus tenetur, & in quadruplum damnatur.] De Judicibus & Magistratibus est lex unica C. De crimine peculatus. [Judices, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, lege Jussæ peculatus obnoxii sunt, & capitali animadversione eos subdijubemus. his quoque nihilominus, qui ministerium eis adhibuerunt, eadem pœna

De Delictorum Speciebus, eorūmq; Pœnis.

pœna percellendis.] Et quamvis Decianus, & Gilhusius velint, per pœnam capitalem intelligi ultimum supplicium, mihi tamen hoc est dubium, nam in superioribus dictum est, etiam Exilium & Deportationem, quæ quis capitis diminutionem patitur, inter pœnas capitales numerari. & ecce! postquam hæc scripti, invenio eandem hujus legis interpretationem apud Carpovium p. 2. q. 89. n. 11. & satis clarè colligitur ex lege 6. pr. ff. h. t. [Sacrilegii pœnam debet Proconful pro qualitate persona, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel feverius vel clementius statuere, & scio multos & ad bestias damnaße sacrilegos: nonnullos etiam vivos exulisse: alios verò in furca suspendisse. Sed moderanda pœna est usque ad bestiarum damnationem eorum, qui manu factâ templum effregerunt, & dona Dei noctu rulerunt: cæterum NB. si quis interdiu modicum aliquid de templo tulit, pœnâ metalli coercendus est, aut si honestiore loco natus sit, deportandus in Insulam est.]

§ 22. **Q**uæritur V. Quænam sit pœna Peculatus Sacrilegi. *re.* Loquendo de prima specie, quæ res sacra de loco sacro auferunt, Jure Civili exitit lex jam relata. Verùm, Ordinatio Carolina art. 172. statuit, ut is, qui vas sacrum, Ciborium, vel Monstrantiam, cum sacra hostia ibi asservata furatus fuerit, vivus exuratur. qui verò aliquid aliud, aureum vel argenteum vas, sive cum, sive sine reliquiis, vel calicem, aut patenam, sive fuerit furatus in loco sacro, sive non sacro, item si quis animo furandi in sacratum templum vel sacrarium, vel sacristiam perfringat, aut dolosis instrumentis aperiat, talis ad mortem, pro qualitate rei, & cum consilio Jurisperitorum puniendus est. Qui verò, quocumque modo ex arca, in quam fideles pecunias offerre solent pro templi usibus, furatus fuerit, potest etiam pœnâ mortis, ex consilio Jurisperitorum puniri. art. 173. Res minoris pretii factas, ex ædibus sacris interdiu furto auferens, aut alias res privatorum in ædem sacræ depositas sine fractura surripiens, pro ratione circumstantiarum eâ plecti pœnâ debet, quæ supra in profanis furtis statuta legitur, ita tamen, ut ejusmodi sacrilegia minus misericordiaz mereantur, quam furta rerum profanarum.

De pœna aliarum specierum sacrilegi furti, nempe rei sacra in loco non sacro, vel contra, dicendum est, esse pœnam furti, sed cum aliqua exasperatione pro arbitrio Judicis, ut ex dictis liquet. Et hæc de furto sacrilego, ac Peculatu.

§ 23. Affine Peculatus est Furtum seu Judicium de Residuis. quo tenetur is, qui pecuniam delegatam in usum aliquem retinuit, neque in

illam consumpsit, aut erogavit; item ille, pœnes quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, aliavè causa, pecunia publica refedit, si eam ad ætarium non est professus, aut, si professus quidem, ultra annum tamen penes se retinuit. habetur in lege 21. & 4. §. 31. & 4.

Pœna hujus delicti ponitur in lege 4. §. 5. his verbis non nihil obscuris. [Quæ lege damnatus amplius tertiâ parte, quam debet, punietur.] Sensus est, ut præter pecuniam quam debet, tertiam partem ejusdem pecuniæ pendat. v. g. qui 300. debet, centum ultra pendere teneatur: an autem fisco, vel ei, cui principale debetur, non satis est expressum. Perez vult, esse fisco inferendum. Gilhusius videtur contrarium supponere.

Perjurium.

SUMMARIUM.

Definitio Perjurii purè assertorii, ejusque discrimen à Perjurio commissio per omissionem rei juramento promissæ. 524.

An Jure scripto Perjurium sit à pœna immune. 525.

De consuetudine puniatur perjurium etiam in foro civili. 526.

Quæ pœnâ afficiendus, qui suo perjurio facit aliam pœnâ capitali puniri, vel aliam ad hoc inducit. 527.

Item qui in judicio lucri causâ perjurium commisit. eod.

Item qui cautionem juratam (urphedam) de non redeundo violaverit. eod.

An universim Perjurii sunt Infames. 528.

An Clericus Perjurus privetur Beneficiis. 529.

§ 24. **Q**uæ de Juramento & Perjurio disputant Theologi, tractavi ex professio tomo præcedente, agens de Modo probandi per Jusjurandum. Nunc ca tractanda sunt, quæ Processui Criminali propriè inserviunt.

Definiri solet Perjurium, quòd sit Mendacium Jurejurando firmatum. Ità cum aliis Carpovius. Verùm, hæc definitio in rigore non convenit nisi Perjurio purè Assertorio, quoadque est propriè, ac pressè Perjurium, non item Perjurio quòd committitur non servando promissum, si quidem, dum juraret, habuit animum servandi promissum. est enim discrimen inter Perjurium, quòd committitur dum quis scienter ac dubitanter asserens falsum, jurat id esse verum, & inter Perjurium, quòd committitur violando seu non servando, quòd quis Jureju-

2 2 rando

rando promisit. Nam, ut eleganter declarat nuperime R. P. Georgius Gobat in Alphabeto quadruplici casu 18. n. 180. perjurus primo modo constituit Deum testem falsitatis, proprie enim & jurat, & falsum jurat, adeoque peccat mortaliter, etsi rem minimam falso asserens, seu dubitans seu sciens esse falsum: secundo vero modo perjurus non constituit Deum testem falsi, quia revera tunc non jurat, quando non stat fide jurata, esto prius juraverit, juravit enim tunc juxta suam, ut supponimus conscientiam, nempe juxta propositum, quod habebat in animo: ergo non est, cur dicatur constituit Deum testem falsitatis. Ita citatus Auctor. sed de hoc plura dixi loco citato. In presenti etiam erit sermo de Perjurio, prout abstrahit ab utroque, dum quaeritur, quae sit poena Perjurii. Pro cujus resolutione,

§ 25. Advertendum est, inter DD. valde controversum esse, an inspecto Jure Scripto Codicis, possit ob commissum Perjurium à Judice poena decerni. Ratio dubitandi, & negandi sumitur ex lege 2. C. de rebus creditis & Jurejurando. ubi Alexander Imp. ita rescripsit. [Jurisjurandi contempta religio satis Deum Ultorem habet. Periculum autem corporis, aut Majestatis criminem, secundum constituta Divorum Parentum meorum, etsi per Principis Venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.] Ubi ponderandum est vocabulum *Satis*. Nam licet alioquin esset mala consequentia: Deus punit; ergo non est cur leges puniant. Quia tamen Lex dicit, Deum *satis* ulcisci perjurium, videtur dicere velle, quod ulterior poena non sit addenda. Ob hanc rationem plures DD. quos refert, & sequitur Carpzovius 9. 467. n. 22. contra non paucos, tenent, in hoc textu concedi Perjurii impunitatem. De quo puncto minus utiliter litigatur. Nam

§ 26. Dicendum est I. Jure saltem consuetudinario rectissime introductum est, ut perjurium extra casus, quibus per Constitutiones est certa poena constituta, (de quibus paulò post) poena extraordinaria & arbitraria puniatur etiam in foro civili. Ratio est, quia per se absurdum est, puniri à Jure Perjurium commissum contra Jusjurandum factum per Principem terrenum, & non puniri factum contra Jusjurandum per Deum. Unde & secundum Canones punitur excommunicatione *can. fin. ca. 22. q. 1. ibi.* [Si quis verò, perpetrato perjurio, aut quolibet criminis peccato timeas penitentiam longam ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à communione & consortio fidelium.] Conclusio procedit etiam de Perjurio contra praeteritam promissionem juratam commissio. Sic Scabini Jenenses responderunt

in causa cujusdam Judicis, qui contra praestitum Juramentum homicidam in domum suam, testem & mensam receperat, eundemque rursus impudè à se dimiserat, responderunt inquam, Judicem poena arbitraria carceris, vel relegationis temporalis, aut multà pecuniaria coercendum esse.

§ 27. Dicendum II. Qui suo perjurio alium ad poenam capitalem fecerit damnari, afficiendus est in Imperio illà eadem poena, quam perjurio alteri intentavit. Eadem poena afficiendus & ille, qui dolo malo ad tale perjurium alterum induxit. Ita statutum est in Ord. Crim. Carol. ar. 107.

Dicendum III. Eodem articulo constitutum est. Si quis in Judicio juramento à Judice delato conceptis verbis, pecuniae nomine, vel alterius lucris causà, in suum commodum pejerat, talis imprimis cogendus est restituere pecuniam, vel rem aliam quam suo perjurio adeptus est, inde in eadem notandus: ac tandem digiti duo quibus juramentum praestitum est, (saltem quoad exteriora membra) amputandi sunt.

Dicendum IV. Eadem digitorum amputatione puniendus est, qui cautionem juratam, vulgò *Vrphedam*, de non redeundo (si fuerit relegatus) vel de non ulciscendo carceris injuriam ruperit, fregerit, nec se prius absolvi fecerit.

§ 28. Quæres. An universim Perjuri fiant infames. R. De hoc jam alibi dixi (et est communis DD. apud Julium Clarum & Carpzovium) de Jure communi non fieri infames infamia Juris, sed tantum infamia facti, nisi talem poenam sustinerent, quam per se comitatur infamia, qualis est fustigatio, quae infligitur in lege 13. in fine ff. de jurejur. illi, qui juraverit in re pecuniaria pergenium Principis, dare se non oportere, & pejeraverit. Cæterum, infamiam hanc facti putat Carpzovius cum pluribus aliis, sufficere, ut talis sit intestabilis, & ei ac quidem juranti amplius credatur, & à limine judicii repellatur, etiam parte non opponente. Quamvis P. Georg. Gobat. casu 19. n. 687. cum Zahirio & pluribus aliis non improbabili putet, perjurium repelli solum ab illo judicio, & in illa causa, in qua pejeravit, non autem in aliis, saltem in eo casu quo jam pridem contigit illud perjurium, & interea vixit ille ut bonus Christianus, & in tali non habere locum regulam Alciati. *Perjurus semel, semper praesumitur pejeraturus.*

§ 29. Clericus perjurus ex quorundam opinione est incapax omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum, habitisque privatur. Ita P. Georg. Gobat. lo. cit. casu 19. n. 688. primam partem colligit ex can. 3. dist. 81. ibi. *Facilius est,* ut hanc

ut hanc dignitatem tali (perjuro) ipse amiserit ordinatur, quàm eam obrineat ordinatur. Secundum probat ex cap. Pervenit. de Jurejurando. Duo sunt in hoc titulo capitula, quae incipiunt *Pervenit*. Secundum & tertium: ex neutro video claram consecutionem, quod perjurus priveret beneficiis. In hoc ergo consuetudo aut stylus Curiae erit attendendus.

Plagium.

SVMMARIVM.

Quid sit Plagium, & quando committatur. 530.
Quenam sit illius poena. 530.
Duo casus in Codice contenti, ubi poena gladii constituta. 531.
Quando puniatur mitiori poena quàm ultimo supplicio. 532.

530. Plagium est species furti, nempe est furtum hominis, & committitur, quando servus surripitur domino, vel filius familias patri: nam licet filius familias non sit in Dominio proprie dicto patris, fingitur tamen quasi esset in dominio, quatenus leges illi concedunt illi vindicationem.

Quæritur I. Quanam sit poena Plagii. R. Si consideretur Plagium præcisè in ratione furti, & non ut qualificatum, (de quo mox) poena illius non est suspendium, quia liber homo non recipit estimationem quinque solidorum. Quam rationem reddit Carpzovius, quæ tamen non est satis universalis, quia non procedit in furto quo quis servum furatur, qui utique potest estimari etiam ultra quinque solidos. Deinde possunt estimari operæ & servitia filii familias, quæ etiam possunt excedere quinque solidos, & potest esse evidens, quod plus valeant. Itaque non apparet alia ratio, quàm quia leges de hac specie furti agentes, non constituunt poenam ultimi supplicii, nisi in casu legis Fabia seu Flavie, aut Favie de plagiariis: imò nec in ipsa lege Fabia fuit constituta alia poena, quàm pecuniaria & arbitraria. *l. fin. ff. ad legem Fabiam de plagiariis.* [Poena pecuniaria statuta lege Favie in usu esse desuit: nam in hoc crimine detecti pro delicti modo coercerunt, & plerumque in metallum damnantur.]

531. Verùm, Jure Codicis lege 7. & fin. C. h. t. duo casus habentur expressè, quibus poena gladii puniuntur Plagiarii. Prior est, si Plagiarii vendant servum vel liberum suppres-

sum emptori ut eum aliò asportet. l. 7. ibi. [Si quem in hujusmodi facinore deprehenderit, capite reum plectere non dubitabis, ut poena genere detineri ceteri possint, quominus istiusmodi audacia vel servos vel liberos ab urbe distrahere atque alienare audeant.] Secundus casus est. Si viventium filiorum fiat hujusmodi distractio, & parentes orbentur. *l. fin.* [Plagiarii, qui viventium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates &c. Si quis hujusmodi reus fuerit oblatas, posteaquam super crimine claruerit, servus quidem, vel libertate donatus, (i.e. *libertus*) bestis subiciatur, ingenuus autem gladio consumatur.] Carpzovius, nescio quo jure, requirit, ut hoc fiat in eum finem, ut parentes urgeantur ad liberos magnà pecunià summà redimendos, nam Jura quæ citat, hoc non habent.

532. Quæritur II. Quibus modis Plagium committi possit, ut minore, quàm ultimi supplicii poena puniatur. R. Qui sciens dolo malo liberum hominem surripit: in vitium in servitutem redigit, donat, vendit: item & qui talem scienter emit: aut in fuga datum suscipit, occultat, & proprium assertit: item qui servo alieno persuadet, ut à domino fugia: deuique & ipse dominus lege Fabia tenetur, qui servum suum in fuga constitutum alienat. Ut habetur l. 6. pr. C. h. t. quod cum merito possit alicui exoticum videri, ejus tamen elegantem rationem reddit Cujacius: ut à fuga servi deterrereantur, si intelligant, se à nemine recipi posse, vel celari impudè, vel acquiri alteri ullo legitimo titulo. De his plures leges C. h. t. videri possunt, quæ hodie vix ullum habent usum.

Prævaricatio.

SVMMARIVM.

Quis in Jure dicitur Prævaricator. 533.
Quam poena puniendus. eod.
Item Advocati adjuvantes dolo malo partem adversam. eod.
Quid Ord. Carolina constitutum. eod.

533. Ille in Jure dicitur Prævaricator, qui, prodira suà causâ partem adversam dolo malo adjuvat, aliqueum accusando, vel simulatas probationes adducendo, & veras de industria prætermittendo. Propriè prævaricator est, qui publico judicio dolosè, & simulatè accusa vit, diciturque Prævaricationis talis iudicium Publicum, quia agitur de corruptela publici iudicii, &

quia talis prævaricator eadem pœnâ publicâ afficitur, à qua reus per prævaricationem absolutus est, quamque subire debuisset si ipse in legem comisset; ut habetur lego 6. ff. de Prævaricatione. Advocati adjuvantes dolo malo partem suo clienti adversam, extra ordinem puniuntur, & hodie univèrsim Prævaricatores, ut notat Corvinus in hunc tit.

De Prævaricatoribus existat in Carolina Ord. Criminali a. 117. Si Procurator ex proposito dolo malo in præjudicium partis suæ, & in favorem partis adversæ gerit, & de hoc convictus fuerit, talis parti suæ imprimis pro damno causato omni possibili modo satisfaciatur, deinde ad numellas positus virgibus caesus relegatur, vel alio modo pro qualitate commissi delicti puniatur.

Proditio.

SUMMARIUM.

Quid requiratur, ut quis sit & dicatur Proditor. 534.
Quæ pœna sit constituta in Ord. Carolina. 535.
Quæ pœna in Jure Civili. eod.

534. **V**T quis dicatur Proditor, requiritur, ut vel debitam alteri fidem frangat, vel simulando unum facere, cum aliud habeat in mente, alteri insidias struat. Hinc Proditor dicitur (exempli causâ) qui tela hostibus dat, contra fidem patriæ debitam. Et tales supplicio ultimo & bonorum confiscatione puniuntur. L. 2. C. Quæ res exportari non deb. ibi. [Perniciosum namque Romano Imperio, & proditori proximum est, Barbaros quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquod armorum genus, quarumcunque nationum Barbaris alienigenis contra pietatis nostræ interdita ubicunque vendiderit, bona ejus univèrsa protinus sisco addici, ipsum quoque capitalem pœnam subire decernimus.] Item qui patriæ vel Principis sui milites in hostium inducit insidias. Item qui ad hostes literas mittit in præjudicium patriæ vel Principis, vel secreta revelat: qui locum sibi concredidit deserit, aut hosti tradit, vel ad hostem deficit. Qui permittit hostem per suum territorium transire: qui secretum sibi commissum in præjudicium committentis revelat. Qui aliquem dolose circumvenit, inopinantem, simulatâ amicitia lædit &c.

535. Proditionis pœna traditur in Ordine Criminali Carolina a. 124. Qui prodicionem

malitiosam fecerit, secundum consuetudinem in quatuor partes secundum mortem punietur. Si fuerit femina, submergetur. Et, si proditio magnum damnum aut scandalum dare posset, veluti si quis provinciam, civitatem, suum dominum, conjugem, vel sanguine propinquum prodiderit, pœna exasperari potest, tractione ad locum supplicii, vel adulatione per forcipes. Judicio tamen Jurisperitorum possit quandoque decapitatio precedere sectionem in quatuor partes. Ab hoc tamen prodicionis crimine ejusque pœna immunis est, qui crimen & criminosos deferunt ad Magistratum, à quo ad explorandum destinati sunt.

In Jure Civili existant & aliæ pœnæ. Nam filii proditorum sunt incapaces successione, tam ex testamento quam ab intestato, ut notat DD. in leg. 5. C. ad L. Jul. Majest. Deinde Proditor non habet potestatem faciendi testamentum, ut tradit Baldus in l. 1. C. militibus. C. de testam. milit. De Vasallo prodente suum dominum dixi in tract. de Feudis.

Rapina.

SUMMARIUM.

Quæ pœna Rapina constituta in Ord. Carol. 536.
An sufficiat unus Rapinae actus. 537.
An ob superadditam vulnerationem pœna sit exasperanda. eod.
An Nobilitas, vel materia parvitas excuset ab ordinaria pœna. 538.
An rapina sit, incusso metu obtinere, ut alter rem sponte tradat. 539.
An eadem pœnâ pleciendus, qui non in via publica rapinam exercet. 540.

536. **D**E Rapina, prout fundat Actione civilem, egi tract. 2. à n. 263. Deinde remitto lectorem ad ea, quæ supra de Latronibus & Grassatoribus dicta sunt. Nam ex ibi dictis constat, Rapinam quidem semper esse contentam in latrocinio, sed non contra latrocinium esse contentam in rapina. Grassatores enim seu raptores sunt, qui vi adhibita spoliant, sed non occidunt; latrones autem qui occidunt, ut spoliant, vel à spoliato non prodantur.

Rapina supplicium statuitur in Ord. Carolina a. 126. ubi indifferenter Raptores malitiosi ac convicti mortis pœnâ affici jubentur, sed quoad genus mortis & supplicii observatâ regionis consuetudine: & solet in Imperio esse pœna gladii,

gladii, & quandoque etiam, ut cadaver Rotæ imponatur.

537. Dubitatum est I. An ad hanc pœnam infligendam sufficiat, semel rapinam exercuisse. Negat aliqui, sed affirmat Carpovius, idque probat ex art. 126. Ord. Carol. ubi dicitur. Quivis malitiosus prædator secundum communia Jura Imperialia gladio puniatur. Arqui semel exercens deprædationem, recte prædator dicitur, sicut, qui semel peccat, peccator.

Dubitatum est II. An, si deprædator insuper vulneret, sed sine animo occidendi, pœnâ sit exasperanda. Negat Carpovius p. 2. q. 90. n. 30. putans minus delictum à majore absorberi, & pœnam gladii sufficere. Ego jam supra innuavi, contrarium mihi probabilis videri, non enim in spoliatione ita involvitur & includitur vulneratio, sicut in homicidio. Imò sæpe gravius dolet vulneratio quam deprædatio: sed de hoc iterum in seq. tract. c. 11. controv. ult. ubi dicitur, quid in hoc puncto habeat consuetudo.

538. Dubitatum est III. An Nobilitas, vel Parvitas Materie excuset à pœnâ ordinaria. R. Ex communi DD. neutrum excusat, tum ob generalitatem verborum Ordine Carolinae, tum quoad parvitatem materie ex ratione speciali, ob quam tam severe puniuntur Robbaria seu prædatio, nempe quia intenditur securitas viarum publicarum, quæ non minus turbatur, si homines intelligent, aliquem esse spoliatum parvæ re, fortè quia plus non habuit, quam si multum ablatum sit: semper enim manet metus incidendi in talem grassatorem, & sic pax publica est turbata, & securitas ablata. Ex qua valida ratione etiam de rigore juris non est patendum illi, qui fortè post factam rapinam penitentia ductus rem ablatam restituit. Per hoc enim in aliis metus non tollitur, nec securitas ablata restituitur aliis, quia non constat de talis hominis motivo restituenti, & serâ ac constanti penitentia. Quamvis Carpovius suadeat, ut tali non difficulter gratia fiat, & pœna gladii in mitiore commutetur.

539. Dubitatum est IV. An ad delictum Rapinæ spectet, si quis non quidem vi adhibita victori suum eripiat, sed solo incusso metu adigat, ut ipse sponte tradat. Ratio dubitandi est, quia videtur pertinere ad speciem Concussione, (de qua supra actum) quæ fit, quando Judex vel Magistratus metu suæ auctoritatis extorqueat injuste pecuniam. R. Possit esse quæstionem de vocabulo, an talis debeat dici prædator, an concussor. Loquendo verò de re, & de pœ-

na, dicendum est cum Carpovio p. 2. q. 90. n. 68. talem eadem prædationis pœnâ pleciendum esse, quia continet totam formalem malitiam prædationis, nempe turbationem pacis & securitatis publicæ.

540. Dubitatum est V. An eadem prædationis pœnâ ordinariâ sit afficiendus, qui non quidem in via publica, sed in villis, aut privatis adibus rapinam exercet. Negat Carpovius, nisi magnam vim, & domus devallationem adhibuisset. Ratio esse potest, quia licet unicuique domus sua debeat esse tutissimum asylum, quia tamen quisvis potest se in sua domo aliis modis facillius tueri, quam in via publica, non videtur opus esse tantâ pœnâ ad absterrendum à tali domesticâ rapina, quam à publica.

Raptus.

SUMMARIUM.

Quando committatur crimen Raptus. 541.
Quæ sit pœna Raptus. 542.
Statutum Concilii Tridentini. 543.
Constitutio Criminalis Carolinae. 544.
Constitutio Novelle 150. eod.
Quomodo puniatur Raptus alicujus Sanctimoniales. 545.
Quid si femina dicat, se non invitam raptam esse. 546. & seq.
Quid si mas marem raptat libidinis causâ. 548.
Quid si femina virum. 549.
Quid si Raptor feminam non cognovit. 550. & seq.
An raptus meretricem excusetur à pœnâ ordinaria. 552.

541. **C**rimen Raptus committitur, quando femina honesta libidinis explosione causâ vi de loco in alium locum moraliter diversum, (non de camera in camerâ) abripitur: etiam si eam non cognovit carnaliter, quia fortè non potuit, aut impeditus fuit, ut tradit Julius Clarus hoc. §. qui insuper notat, quod etsi non possit proprie dici raptor, qui commodioris coitus causâ puellam in aliam ejusdem domus cameram abripit, vel in campo deprehensam ad aliquot passus adducit, ut occultetur oppressio, nihilominus talis ob vim illatam mortem mulcandus sit, ut habet communis praxis.

542. **Q**ueritur I. Quæ sit pœna Raptus. R. De hac existat lex unica. C. de Raptu virginum. §. 1.